Nowiejski Adalb. Pancratiastes academicus. — 1638 12 Aprilis.

PANCRATIASTES ACADEMICVS.

In Philosoph: Circo Laureâ donatus Secundâ, Venerabilis Dñi IACOBI KLESZCZYNSKI Gloriæ

Dum ſub Auſpicijs,

Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Domini,

D. IACOBI ZADZIK,

Epiſcopi Cracouienſis, Ducis Seuerienſis, Academiæ Cracouienſis Cancellarij Ampliſsimi.

In Aulâ D. Jagiellonis Artium & Phiæ Licentiatus ritu ſolenni renunciaretur.

AB

ADALBERTO NOWIEYSKI, eiuſdem Laureæ Secundæ Candidato.

DICATVS.

Anno Domini M. DC. XXXVIII. Menſe Apr: Die 12.

CRAC: In Officina Martini Philipowski, Anno Domini, M. DC. XXXVIII.

16.

CASIMIRIA TRIUMPHANS.



Iactabit Latium, Ianum fortasse bifrontem,
Qui videat casus ante retroq; suos.
Ecce biceps spectat Sebast- Casimiria ianum
Præuidet hic casûs, ante retroq; malos.

Clarissimo & Consultissimo Domino, D.

SEBASTIANO CZICHOSZEWSKI,

Magistro Artium & Philosoph: Doctori.

Nunc vero Procons. Casimiriensi longê dignissimo
Adalbertus Nowieyski Sec. Laur. Cánd.
Felicitatem.

QVod olim prisca mortalium antiquitas pleno iactabat spiritu, sibi lemniscatas inter gloriosi Martis adoreas, Palladio nuspiam locum defuisse triumpho; hoc felix & benè auspicata Polonia in suo volutabro reperiri non sine laude deprædicat. Hic namq; dum alij cruentis dediti prælijs, hostiles animosi superant cohortes, adsunt plurimi qui eloquenti ad Rostra tonant fulmine, solidis dogmata sophorum tuentur rationibus, salutari in consilijs de Repub: capiendis florent dexteritate. Strenuos bellacis Gradiui non memoro alumnos, totiès enim inimicus detriumphatus furor, totiès erecta trophæa, inuictam Polonorum testantur virtutem. Sapientis Mineruæ doctos iuuat intueri Clientes,

qui squallido ignorantiæ depulso Siyrmate, gloriosi Pancratiastæ optata virtuti & sapientiæ erigunt monumenta. Inclytam propiùs contemplor Casimiriam, cuius felicitati illud quoq; non postremum, & alijs omnibus præferendum accessit ornamentum, quòd videam huiusce Vrbis exceptum & educatum grèmio ad virtutis properantem fastigium, illustri Academiæ in Theatro Secundam Lauream honorificè capessentem. Quid mirum? si tanta ipsius virtutis monumenta animus aduertens, eidem alacris noui honoris gratulatur accessionem, & exiguo metro propensam testatur hilaritatem. Is tamen laboris mei non inauspicatus partus (si eo nomine gaudere debet) cuius sub nomine in lucem prodiret, se tibi submisit, cuius doctrinam Alma Academia vidit & probauit, consilia saluberrima Respub: totiès stupuit & admirata est: tùm quòd iucundùm tibi sit futurum, in eâ Vrbe cuius administras consulatum videre eandem semitam terentem, quâ iuisti quondum: tùm quòd beneuolum te semper alumnis, sed ijs præcipuè, quos & conditio & inclyta virtus tibi fecit

æquales

æquales exhibueris: tum deniq; quòd sperem, me rem gratissimam facturum ei, cuius gloriæ Pancratiasten hunc Academicum conscripsi, tibi eundem dedicare, quem ille vt sapientem honorat Catonem, vt iunior libens Veneratur. Quocirca hoc meæ in te beneuolentiæ argumentum supplex orat, vt illud beneuolo excipias animo, noueris que quô affectu, in te nostra sit Camæna, cuius sub præsidijs lucem intueri cupiebat. Vale.

Vrbes Gentilis si Marte Togâq; potentes
Jactat, abundat & his sarmatis ora Viris.

O D E I.

Vt quid superbo turgida pneumate,
Olim potentùm Roma Quiritium
Sedes, & excelsi senatus
Vertice sydereos Triones
Quatit triumphans? quo ruit insolens?
Vrbesq; cunctas spernit? & omnium
Regina dici vult, & ipsa
Grande supercilium sub astra
Elata tollit. si sua Romulus
Dynasta quondam mænia condidit,
Et illa fraterni cruoris
Purpureo rubefecit imbre.
Viditq; magnos consilio Viros
Nascentis vrbis: quando cohortium
Hostilium fundunt Gradiuum
Et validas perimunt phalangas.

Nec-

Necdum triumphet? ſi ſonat eloquens
Ad Roſtra docto gutture Tullius,
    Cunctis ſtupendus, ac querelas
        Diluit implicitas reorum.
Quorſum tumenti vertice gloriam
Amplis nitentis ſemper honoribus
    Faſtidit orbis? nec recentis
        Illa cupit ſocium decoris?
Quamuis Latini nominis æmula
Carthago robur gentibus exteris
    Perenne monſtret, ſeu furenti
        Totius in Latij ruinam.
Deuota Marti, pignore gaudeat
Quamuis ad aras iuret in hoſtium
    Cædem Tyrannus ac Quiritûm
        Hannibal in modios reponi
Inſigne fulgens iuſſerit annulos
Vrbeſne cunctas deprimet? & ſuos
    Audax honores pandet orbi
        Per titulos memoreſq; faſtos?

Li-

Libet Canopi vel Mareoticas
Adire plagas: Cecropios iuuat
Spectare muros, & profundis
Ingeniis celebres Athenas.
Libet Tridenti cernere fortiùs
Concussa terræ viscera, mox equum
Sese rotantem, mox Oliuam
E cerebro salientis almæ
Donum Mineruæ. Socratis hîc sonant
Pulsata doctis pulpita iurgiis
Demosthenes illinc disertus
Increpat ore graui Philippum.
Tantis beatam lux Asiæ Viris
Num te negabo? num tibi munere
Insana concessum Deorum
Posteritas rapiet decorem.
Sat clara viues. nec tamen amplius
Parens sophorum docta vocaberê
Nec conditòres grande nomen
Inde tui referent per orbem

Latè

Latè patentem. Sarmaticos quoq;
Celsis honorum muneribus lares
Ornare gentium ad stuporem
Munifici voluerê Diui.
Hîc ille plenis Oceanus patet
Laudum carinis hîc genus inclytum
Vulgare fas sit, fas beati
Imperij celebrare nomen.
Vixit Gradiuo semper idoneus
Quondam Polonus: vixit & hostium
Contemptor armatas cohortes
Fulmineo feriebat ictu.
Relicta seris fama nepotibus,
Pectus coëgit Marte per exteras
Fulgere gentes, calcar addens
Ad celebres toties triumphos.
Ergo cruentos miles in hostium
Fortis ruinam, stringit acinaces
Turcæq; Moschorumq; robur
Persequitur generosus armis.

Mi-

Mirare celſum ſed magis vrbium
Decus ſuarum, puluere neſciunt
Tegi probroſo, quas potentum
Muneribus pietas adauxit
Fæcunda Regum. Te Capitolium
Sublime CRACI perpetuò ſonans
Rumor loquetur. te perenni
Calliope referet cothurno.
Vides vt Almæ lux ACADEMIÆ
Illuſtret orbem? quâm bene fulgida
Semper coruſcet, & penates
Ad roſeos. veneranda pergat?
Apollo plaudens hîc celebrem domum
Fixit canoris namque ſororibus,
Hîc Diua Virtus, hîc beati
Pectoribus viguerê mores.
Hîc ſi iuuentus de Sapientiæ
Polona ſacris fontibus hauſerit,
Et Martis audaces alumnos
Hectoras, efficit & Platonas.

Quid

Quid Musa torpes? an CASIMIRIÆ
Nescit triumphos & Patrium decus
Ignotus hospes? dum secundis
Per Lechicos volitat Triones
Impulsa ventis. Vix prope victor hanc
Versus profundæ flumina Vistulæ
Erexit, in circumque muris
Coctilibus CASIMIRVS vrbem
Muniuit. Illa & Regibus inclytis
Præsto est fidelis, consiliis graues
Gignens Catones & diserto
Floret amans Patriæ Senatu.
Successit ætas, hîc quoque splendidi
Crêuere Ciues, creuit & amplior
Honos Virorum quos remotis
Fama loquax patefecit oris.
Quid prisca pando? num CICHOSEVIVM
Forsan tacebo? quando recentibus
Exornat antiquos honores
Et celebri decus addit vrbi.

Hic & sonoris vixit idoneus
Puer Camœnis, & sapientium
Cultor virorum mox palestræ
Socraticæ remanet Magister.
Credetis? illum dum sapientiæ
Vulgat recessus, & rationibus
Demonstrat argutis profundus
Dogmata quæ Stagyrita pandit
Mirantur omnes. ac velut Orphei
Prolecta cantu trux fera prosilit
Syluas relinquendo melosque
Threicij bibit aure plectri.
Sic differentem non sine Numine
Multi hunc stupescunt: quin ACADEMIA
Herois aduertens acumen
Dat capiti diadema sacro.
In vrbe fas sit cernere Consulem
Necnon beatam dicere, quæ virum
Est nacta tantum cuius hosce
Consilio regitur per annos.

Aduerte plures, Ære perennius
Durabit æuum gloria, quam tuo
Stanislae ROZICKI decori
Et pietas dedit & Minerua.
Abſiſte tandem Muſa. nec amplius
Gentilis orbi barbaries caput
Informe iactet. Sic Polonas
Et ſuperi venerantur vrbes.

IO TRIVMPHALE

Clio Diua tuum refero IACOBE Triumphum
Huic breue ſubnectens IO *Triumphe melos.*

ODE II.

GNara feſtiuos agitare cantus
Linquo Parnaſsi iuga ſacra montis
Et nouos promo Dea Dythirambos
Io Triumphe.
Audiat celſos habitans Triones
Iuppiter magnum Dominus per orbem
Plaudat vt fauſtis Helicon choreis
Io Triumphe.

Audiat vastum pelagi profundum
Nereus forti quatiens Tridente
Vt triumphantes iterent Camænæ
Io Triumphe.

Quin & infaustos Acherontis amnes
Ditis infelix habitans colonus
Audiat cantus resonantis antri
Io Triumphe.

Nostin ? an mentem dubiam fatigat
Error incertus quid agatur, & cur
Plaudat & crebrò repetat Cythæron
Iò Triumphe.

Grandium specto celebrem Sophorum
Lauream sumis, diadema Sacro
Vertici confert veneranda Mater
Io Triumphe.

Delius, tantum recolens triumphum
Euocat doctas Pater huc Camænas
Mandat assuetis resonare plectris
Io Triumphe.

Hinc

Hinc Phalanx dulces Heliconis vndas
Quæ bibit, Montis duplicis frequentans
Verticem blandos tibi dicit Hymnos
Io Triumphe.
Illa mox plaudens animi fauentis
Teſtis optatos tibi poſcit annos
Et tuis ſpondet meritis honores
Io Triumphe
Atque dum celſum titulum Magiſtri
Suſcipis plaudit populoq; nomen
Orbe monſtrari iubet in Polono
Io Triumphe.
Qua diem pingit roſeo colore
Migdonis vel qua Phäëtontis vrget
Heſperus currus tibi pſallat orbis
Io Triumphe.
Hic ego linquam cytharæ ſonantis
Fila? nec dulci feriam ſiniſtrâ
Barbiton? cantu geminans frequenti
Io Triumphe.

Or-

Ordior Faustos IACOBVS annos
Viuat, & terris superisq; gratus,
Serus ad certum properet brauium
Io triumphe.
Ille mundanos bene tutus hostes
Spreuit, excelso decorans honesto,
Pectus accensum pietatis igne
Io Triumphe.
Spreuit atroces ferientis hostis,
Impeti nusquam pauidus Sarissas
Quas niger diris vibrat orcus antris
Io Triumphe.
Ille Musarum comes inclytarum
Egit illustris spatium iuuentæ
Totus ad Diuas celerans Camænas
Io Triumphe.
Tullius totum celebris per orbem
Attrahens verbis animos disertis
Indolem cernens, stupet Eloquentem
Io Triumphe.

Quin

Quin & arcanos Stragyrita sensus
Continens libris Sophiæ, palæstræ
Hunc suæ poscit sapiens alumnum
Io Trivmphe.
Illius vultum verecundus ornat
Candidum sacro pudor in rubore
Se genis produnt Charites benignis
Io Triumphe.
Aureas non sic iaculans catenas
Hercules labris trahit aure vulgus
Ducit vt vinclis animos amoris
Io Triumphe.
Hinc Parens quando meritò theatrum
Exhibet, claram tibi dans coronam,
Personet dulci Sonitu Cithæron
Io Triumphe.
Audit hæc quisquam? superet beatum
Laudibus florens IACOBVS æuum,
Hunc suis Nymphæ foueant in vlnis
Io Triumphe.

Vi-

Viuat extentos IACOBVS annos
Notus in Musas animi sereni
Fama cuî semper maneat superstes
Io Triumphe.

Viuat: huic grandes animi labores
Inclytum reddunt diadema: necnon
Spondet æternum pietas nitorem
Io Triumphe.

Prodigus laudes sibi fundat Indus
Ostijs septem sibi diues æris
Accinat Lydus fluuij susurro
Io Triumphe.

Tum comes circum pietas Honorq́;
Ambiat Diuum latus vt Parenti
Splendor, & fiat decus VRBIS Almæ
Io Triumphe.